







7778.

1714 6/  
17

**DECANUS**  
**ORDINIS JURIDICI**  
**IN ACADEMIA VVITTENBERGENSI,**  
**CASPAR HENRICUS**  
**HORNIUS, JC.**

**Codicis Prof. Publ. Consiliarius Regius,**  
**& Electoralis in Senatu Provocationum,**  
**nec non Collegiorum Juridicorum, quæ hic sunt,**  
**Affessor**

**LECTURIS OMNIBUS**

**S. P. D.**







**D**Auci & tres saltem menses sunt, quum nobilis Lipsia fecunda optimorum ingeniorum mater & altrix ex filiis suis quendam patria sua dignum ad nos misit, honoribus Academicis condecorandum, quem publico scripto commendavi. Alter nunc adest, qui idem jure meritoque suo rogat, & postulat: cujus honestis desiderijs non pos-

sumus refragari. Differet ille de iis, quae a Magistratu, vel Judice ubique extra pratorium exerceri possunt: quod illius institutum occasionem nobis offert, ut, quia ex veteri more praefari quaedam debemus, paucis excutiamus unicam quaesitum, quod ad hocce pertinet argumentum. Scil. neminem, cui res nostrae vel parum cog-

*L. Omnium.  
XIX. de Te-  
stam.*

gnitae sunt, latere potest, mentis nostrae supremum iudicium actis cujuscunque judicis secrete concedi posse, ita ut, licet alia solennia testamentorum desint, publica tamen Magistratus, aut Judicis auctoritas ista omnia suppleat, vique sua & robore polleat, quod vel tabulis oblati comprehensum, vel ore effatum est, actisque publicis insertum. Quoniam etiam testatio haec supremae voluntatis sine ulla contentione apud eum fit, qui jurisdictioni praest, actus hic ad illos referri solet, quos voluntariae jurisdictionis nostri dicunt; quibus cum ita comparatum est, ut, quia pars ista jurisdictionis tantum in volentes, & secundum illorum arbitrium auctoritatis gratia exercetur, non opus sit, ut coram tribunali, publico in loco, expediantur, sed sufficiat, si modo adsit Magistratus, vel Judex, quocunque in loco id demum contingat, ut adeo vel in transitu, vel in balneo, vel in theatro fieri queant: consequens est, ultimam voluntatem Judici comitibusque ejus, vel missis a rogato Judice domi, vel alio privato in loco a testatore expositam, oblatamve, ejusdem vigoris, efficaciaeque esse, ac si apud tribunal omne illud peractum esset. Quam rem usus constans ubique locorum comprobat: nec temere illam in dubium vocari unquam videas, modo caetera paria sint, & alioquin omnia recte se habeant, quae cujuscunque loci leges, ac consuetudines circa ultima elogia exigunt, & requirunt. Neque hic subsistunt nostri; verum asserunt hocce ita dilatant, ut non dubitent affirmare, testamentum & illud ratum, stabileque esse, quod Judici privato in loco, etiam extra limites jurisdictionis suae, expositum, oblatum-

*§. 2. F. de  
Libertin.  
L. 2. pr. de  
Offic. Pro-  
consul. L.  
36. ff. de  
adopt.*

que



que est. Quæ sententia tum magnis Jctis placet, tum etiam <sup>Harpr. de</sup> usu judiciorum perpetuo fere non exiguum robor accepit; ne <sup>testam. ju-</sup> que etiam rationibus, & legibus illa destituitur. Nam solent il- <sup>dic. §. 2.</sup> lius auctores ad textus juris nostri provocare, ex quibus liquido <sup>Carpz. P. 1</sup> apparere tradunt, exercitium actuum voluntariæ jurisdictionis, <sup>III. Dec.</sup> eorum scil. qui nullam plane causâ cognitionem exigunt, non <sup>de cautel.</sup> tantum extra locum ubi jus redditur, verum etiam extra terri- <sup>testam.</sup> torium jus dicentis peragi, & suscipi posse. Quorsum pertinet <sup>cap. 7. §. 36.</sup> *Mariani dictum Lib. I. Inst. Omnes Proconsules statim, quam urbem* <sup>L. 1. 2. ff. de</sup> *egressi fuerint, habent jurisdictionem, sed non contentiosam, sed volun-* <sup>Offic. Pro-</sup> *tariam, ut ecce manumiri apud eos possunt tam liberi, quam servi, &* <sup>consul.</sup> *adoptiones fieri.* Itaque Proconsul, antequam in provinciam, quæ <sup>L. 1. 2. ff. de</sup> ei decreta erat, venit, in aliis Romani Imperii partibus, volunta- <sup>opr. pr. §. 1.</sup> riam exercebat jurisdictionem, quicumque alias Magistratus locis <sup>L. 17. pr. ff.</sup> istis præerat, per quæ transibat in provinciam suam proficiscens. <sup>de manu-</sup> Atque hoc etiam testatur *Paulus Lib. XIX. Respons. apud Procon-* <sup>miss. vin-</sup> *sulum, inquit, etiam in ea provincia, quam sortitus non est, & manu-* <sup>dic.</sup> *mitti, & in adoptionem dari posse placet.* Et *Lib. L. ad Edictum* <sup>L. fin. ff.</sup> *illud idem adstruit, quod *Martianus* loco supra citato effatus est.* <sup>de jur.</sup> Hanc ob causam *Plinius L. VII. Epist. XVI. ad Fabarum* scribit de <sup>Gail. Lib. 2.</sup> manu mittendo vindicta servo apud Proconsulem Beticæ Cale- <sup>Obs. 39. in</sup> *strium Tyronem in itinere, dum Beticam proficiscitur.* Ut adeo <sup>fin. Kni-</sup> secundum Romani juris placita regula ejusdem, jus dicentis <sup>chen. de jur.</sup> extra territorium nullam auctoritatem esse, intuitu voluntariæ <sup>territ. c. 1.</sup> jurisdictionis, quæ nullam exigit cognitionem causæ, & de plano <sup>n. 372. Ber-</sup> redditur, officium suum perdere videatur. Solent hæc Docto- <sup>lib. P. 1.</sup> res nostri Germanici foro nostro aptare, atque passim dedu- <sup>Dec. 29. m. 8.</sup> cere in usum; præsertim vero accommodare ad testamenti fa- <sup>egref-</sup> ctionem, ut dixi, quæ æque voluntariæ jurisdictionis actus est, <sup>egref-</sup> ac emancipatio, vel manumissio, itemque adoptio ad hocce ge- <sup>egref-</sup> nus actionum referri solet. Quod, si simpliciter id admittamus, <sup>egref-</sup> an recte fiat? sæpius ego dubitavi: neque etiam nunc adduci <sup>egref-</sup> possum, ut in nostratium plane abeam sententiam. Nam primo <sup>egref-</sup> quidem nescio, an adeo expeditum sit, quod ea, quæ de Pro- <sup>egref-</sup> consule legibus nostris continentur, ad omnes Magistratus Roma- <sup>egref-</sup> nos trahi possint. Id vero scio, nec, quod Proconsulibus datum, <sup>egref-</sup> sine restrictione fuisse. Namque diserte & *Martianus, & Paulus* <sup>egref-</sup> Proconsuli tribuunt voluntariam jurisdictionem, postquam urbem



egressus est; atque sic apud illum, cui provincia decreta, dum in urbe fuit, actus talis fieri non potuit. Et licet Proconsul, dum ex provincia, suo munere defunctus, redibat, in urbem, eandem jurisdictionem in itinere haberet, apud eum tamen portam ingressum frustra legis actio erat. Quo respiciens *Tullius VII. ad Atticum*, scilicet, inquit, hoc imperium mihi molestum erit. utar ea porta, quam primum videro. Ex *Dione* in fine Lib. LIII. discimus etiam, veluti pro privilegio data *Augusto* Proconsulari potestate, id quoque datum esse nominatim, & extra ordinem, ut ingressus Romam non deponeret eam potestatem. Sic ergo extra provinciam, vel territorium Magistratui &, nominatim Proconsuli voluntaria licuit uti jurisdictione, quantum a republica, vel illi qui *ἡ δὲ Κύριον* tenebat, datum & concessum. Fac vero omnibus Magistratibus hoc Romanam nomothesium dedisse; longe tamen alia quaestio est: num illa nostris moribus quadret? Etsi vero alioquin pro usu Romani juris, postquam semel (bene, an male id factum? jam non disquiro) apud nos admissum est, strenue pugnare conserui: ne utique tamen eo patior me abripi, ut in usum illud vocem, ubi patriae leges, vel mores repugnant, atque ob id peregrinum hocce jus haud recipi potuit, vel normam praebere nequit civilium negotiorum. Si faciem conferas jurisdictionis hodiernae, in Germania praesertim nostra, cum ea facie, quam jurisdictione in Romana republica hoc vel isto tempore praeseferbat, quantum nobis cognita est; quam maxima dissimilitudo inter utramque apparebit. Non est hujus loci atque temporis disparitatem istam late excutere: neque etiam opus, cum nemini ignota esse possit, qui vel mediocrem hujus rei notitiam est consecutus. Illud saltem nunc dicam, jure *Quiritium* antiquo, tum & medio, & recentiori, quod *Justinianum* vocamus, omnem jurisdictionem ministerialem, nunquam in patrimonio privati fuisse, ut adeo summæ potestati semper liberum fuerit, illis, qui ministerium in exercenda judiciaria potestate praebant, hanc vel istam partem largiri, vel adimere, atque sic etiam huic vel illi Magistratui id dare, ut in alterius Magistratus territorio exerceret jurisdictionem, vel quandam particulam illius. Quod sane agere non ferre poterat ille, qui jure Magistratus ordinario in provincia, vel loco isto jus reddebat: quod ex mero arbitrio summæ id fiebat potestatis. Hodie vero tum apud Germanos, tum etiam alios populos



los jurisdictio sepiſſime in patrimonio privatorum eſt, atque a ſummo Principe, vel illo qui territoriali gaudet poteſtate, cum certo territorio vel diſtrictu, vel fundo, vel etiam ſuper certum territorium, diſtrictum, vel fundum, jure beneficiario, vel alio titulo, plerumque oneroſo, aliis, jure ſtabili & perpetuo, concedi ſolet, ita ut nec ipſe concedens, cui quidem ſuprema cura rei judicariæ ſalva manet, impedire poſſit exercitium juris conceſſi, vel concurrere cum eo, cui id datum; multo minus alii id queat permittere & indulgere. Poſtquam enim ſic jure proprio poteſtatem jus dicendi quis habet, & patrimonio ſuo adjecit, nullum jus alteri eſſe poteſt jurisdictione eo in loco uti, ubi iſti jus quaſitum: & ſi id faceret, in rem involaret juris alieni; quod regulis juris & æquitatis adverſatur. Adimeret etiam alteri commoda jurisdictionis, ſpartulas ſcil. quas adferri ſolent illi, qui ultimam animi ſententiam declarant. Porro ſi ponamus, jurisdictionem totam cum omnibus ſuis partibus mei juris eſſe, quod ſane contingit, ſi patrimoniali jure eam acquiſivero, niſi forte exceptio appareat: non poteſt alius quandam ejus partem, etiam minimam, ſibi aſſerere, aut illi ea tribui. Hæc enim ſe involverent, implicarentque: rem totam meam eſſe, & tamen partem etiam eſſe alterius. Si vero pars alterius non eſt, quomodo exercitio particulæ illius deſungi poteſt? Ergo omnis alius, quamcunque alias habeat jurisdictionem, ſi eum in locum veniat, ubi mihi ſoli tota jurisdictio data eſt, competitque patrimonii jure, nullam aliam, quam privati rationem habet: atque adeo ſi actum jurisdictionis exercere audeat, non poteſt non meum jus turbare, & ideo ab introitu, & exercitio hocce prohiberi, imo repelli poteſt, ac injuriarum reus ſit, æque ac ille, qui me invito ædes meæ, vel fundum ingredi conatur. Quin & omne id, quod intra limites meæ jurisdictionis egit, non poteſt non inefficax, atque inutile eſſe: quia ut dictum, privati hominis rationem habet, cui ſtra exponitur, vel offertur elogium ſupremum. Quibus omnibus illud haud obefſe poteſt, quod actus hic teſtandi, & apud illum, quod omnino largior, fieri poſſit, qui teſtatoris competens judex haud eſt, modo alias facultate polleat jus dicendi: quoniam ex illis, quæ adſtruximus, apparet fatiſ, illum eo in loco tamen, ubi res agenda, judiciaria poteſtate gaudere debere; alioquin enim non niſi perſonam privatam eſſe, nihilque publico nomine agere, vel coram eo, tanquam perſona publica, ſuſcipi poſſe. Neque etiam exemplum Tabellionum me movet, qui ubique mune-

*L. 16. ff. de  
 ſerv. priv.  
 Ruſtic. L. 13.  
 § ult. ff. de  
 injur. §. 12.  
 J. de R. D.*



re suo funguntur, ac testamentis condendis adsunt. Testamenta enim, quæ illis præsentibus fiunt, non habent rationem testamentorum judicialium; sed solennia sunt, atque coram testibus, vel nuncupantur, vel scriptis conduntur: Notarii vero, ut fides rei concilietur, testimonii causa, vel instrumenti conficiendi accedunt, quod lege universali, *Maximiliani* præsertim constitutione, illis datum est, ac permisum. Quemadmodum itaque sic ille, qui patrimoniam habet jurisdictionem, ab eo qui simili, vel ministeriali gaudet, hac parte turbari nequit in exercitio juris sui; ita etiam qui patrimoniam gaudet, non potest invadere in illam jurisdictionem, quam alius per ministerium exercet. Uti enim ille qui a Principe ita accepit potestatem jus dicendi, ut illum perpetuo jure habeat, non vult in exercitio juris sui turbari, quod nec a Principe juste fieri potest: ita etiam non debet ipse in Principis jurisdictionem, quam per ministros, & officiales exercet, involare. Nec etiam existimandum est, Principem, dum concessit alii in certo loco jurisdictionem, jurisdictioni præfurarum suarum fraudem fieri voluisse. Sed quid tum dicendum, si quis per ministerium exercens jurisdictionem intra limites alterius jurisdictionis ministerialis, quæ eundem tamen, ac altera superiorem Dominum agnoscit, actum hunc voluntariæ jurisdictionis suscipere velit? Sane si Doctorum sententiam communem sequi velimus; fieri id posse, ex dictis supra abunde comprobatur. Quia tamen apud me dubium, an secundum Romanum jus sine discrimine omnibus Magistratibus voluntariam intra alterius limites exercere licuerit: ego id omne ad arbitrium Principis referrem; si tamen de eo liquido non constet, quæsitum pernegarem. Alia quæstio foret de Domino territorii, aut illius Regimine, si ad eum locum, ubi alii patrimonialis jurisdictio data, & concessa, suos mittant testamenti recipiendi causa? A cujus disquisitione jam quidem abstineo, alii tempore illam servans. Etsi vero hæc omnia me quidem iudice veritati theoreticæ, & juris analogiæ congruunt; negare tamen non possum forensi praxi, quæ sæpe tyrannizat, ea adversari. Namque non tantum ex illis Scriptoribus, quos in partes vocavi supra, verum etiam experientia didici, rerum judicatarum auctoritate adversam & communem sententiam quam sæpissime corroboratam esse. Atque ideo, ubi de jure respondendum est, vel jus dicendum, nec ipse ab hac communi sententia recedere solco. Novi enim, quam multum id noceat rei judicariæ,

*Vid. Class.  
VII. Respons.  
nostr. 44.  
p. 447.  
Schilt. Exerc. 2. § 5.*



riæ, si opiniones diu in foro receptæ, atque usu comprobatæ absque autoritate nomothetica mutantur, atque aliæ admittantur; ita ut factus sit, retinere istam, quæ diu placuit, modo non manifeste absurda, vel impia, aut plane iniqua contineat. Qua de re alibi actum est. Quod in hoc argumento eo magis <sup>Prefat. ad  
Consult. &  
Resp.</sup> observari meretur, quia stante ista sententia communi, quilibet eo potest jure uti, quod alius in ipsum statuit, & sic damnum quod ipse forte passus est, pensare. Quoniam tamen & illud, quod diu æquum visum est, observatumque, hominum ingenium mutabile & facilitas ad dissentiendum sæpe negligit, & rejicit, nemini, consultus, autor esse, sed semper id dissuadere soleo, ut Judicem intra limites alienæ jurisdictioni evocet, atque ibidem nuncupet, vel offerat testamentum suum; sed tutiori via, moneo incedatur atque apud Judicem loci exponatur sententia, vel illi concedatur, ne fortasse voluntas ultima destituatur exitu, saltem litium occasio nascatur. Omnia hæc etiam applicari possunt ad casum, ubi de duobus Principibus, vel Statibus Imperii, qui ceu perquam notum, territoriali potestate, jure perpetuo & patrimoniali, gaudent, quæstio formetur; utrum scilicet unus in alterius territorio vel ipse vel per suos testamentum suscipere queat? Sed de his nunc quidem satis. Agamus paucis de ratione vitæ clarissimi Candidati nostri GOTTLOBII RIVINI. Nascentem Anno XC. Seculi superioris Prid. Nonas Martii, amplexa est florentissima Urbs Lipsia, bonarum artium & commerciorum inclytata sedes. Ortum vero debet in ea nobilissimæ RIVINORUM genti, quæ Academiæ, & universæ publicæ rei quam plurimos maxime egregios viros dedit. Patrem ex illa gente habuit summe reverendum & amplissimum virum, TILEMANNUM ANDREAM RIVINUM, SS. Theologia Licentiatum, qui tum publico linguarum Orientalium Professorio, tum Archi-Diaconi munere in Templo Thomano optime defunctus, ac pietatis, eruditionis, facundięque maximam laudem est consecutus. Mater nobilissima matrona CLARA ELISABETHA, ex clarissima apud Lipsienses familia PACKBUSCHIORUM orta est. Statim ac per ætatem licuit, pietatis literarumque studiis est imbutus, & primum *Erdmanni Musæi* doctissimi viri, & hoc tempore Scholæ Martisburgensis Rectoris, mox vero præstantissimorum virorum, qui in ludo Nicolaitano juventutem erudiebant, *Crellii, Drexelii, Pezoldi, & Schwarzii* disciplinæ doctrinæque traditus, felices progressus fecit. Atque licet Deo ita visum fuerit, ut optimum parentem præcox mors Candidato nostro



stro vir dum annum egresso eriperet, supplevit tamen, Numinis beneficium, paterna cura patrui, Magnifici, Viri, QVINTI SEPTIMI FLORENTIS RIVINI, consummatissimi, & de publica re maxime meriti JCTi, ac Collegæ nostri in Provocationum Senatu Regio honoratissimi, omne id quod per obitum genitoris Candidato nostro deceffit: cui immortales gratias ob tot tantaque in se merita se debere, lubens profitetur. Anno MDCCVII. ex arbitrio eorum, quorum consilio regebatur Academica spatia ingressus est, atque præclarissimorum virorum, qui in celeberrima ista Academia Philosophiam docent, scholis felici successu adfuit; postea arti juris se dicavit totum. Usus est primum ductore fidelissimo patrui suo, consultiissimo viro, & paterna vestigia feliciter sequente, D. JOHANNE FLORENTE RIVINO, qui privata institutione dignatus est nostrum, quam & multum profuisse sibi gratus agnoscit. Subjecit se tamen etiam doctrinæ Magnifici MËNCKENII, Consiliarii Regii & Electoralis, atque Juridici Ordinis in alma Phylœa Præsidis Ordinarii, viri de juris nostra arte immortaliter meriti, cujus solida exactissimaque institutio ad interiorē cognitionem juris illum perduxit, aptumque reddidit, ut ad res forenses animum potuerit applicare. Quia vero e re sua esse putavit, si publico testimonio scientia legalis instructus, honoribusque exornatus ad has res tractandas accederet: Wittebergam venit, sororio vinculo Lipsiæ conjunctam, atque ab Ordine nostro aditum ad specimina ingenii & eruditionis conservanda edenda, simulque etiam illis ex antlatis dignitates Academicas modeste petiit. Defunctus est bene partibus suis, quum in consessu nostro animi sui dotes exponeret. Quam ob causam non potuimus deesse desiderii rogantis, ut in publicum prodire liceat, atque tueri Dissertationem, quam de argumento, quod indicavimus sub initio, doctam conscripsit. Faciet autem id cras D. V. moderatore Excellentissimo Antecessore, Collegæque nostro honoratissimo, DN. GEORGIO BEYERO, loco horisque, quæ his exercitiis Academicis destinari solent. Meræ ergo partes sunt, ut Magnificum Dominum PRO-RECTOREM, Illustrissimum Dominum Comitem, Perillustrem Dominum Baronem, Patresque, ac Cives Academicæ, omnesque alios qui hisce rebus favent, omni cultu, observantia, & studio, quo decet, exorem, atque rogem, ut illustri, & honorifica, gratisinque Ordini nostro præsentia, actui huic solenni decus conciliare velint. P. P. XVIII. post Trinitatis MDCCXI.



Wittenberg, Diss., 1711 A-Z  
X 228 3123

VD 18

ULB Halle  
005 309 336


3











B.I.G.

Farbkarte #13

7778.

1714 <sup>6</sup>/<sub>17</sub>

DECANUS  
ORDINIS JURIDICI  
IN ACADEMIA VVITTENBERGENSI,  
CASPAR HENRICUS  
HORNIUS, JC.

Codicis Prof. Publ. Consiliarius Regius,  
& Electoralis in Senatu Proconvocationum,  
nec non Collegiorum Juridicorum, quæ hic sunt,  
Affector

LECTURIS OMNIBUS

S. P. D.

